mortaliter patefecit; si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo. Propter quam novorum Cardinalium creationem factam, caeteri Cardinales in civitate Lucana a Gregorio fugiunt, et ab eodem appellant ad Christum, et ad futurum Concilium, ac ad Papam novum futurum, de novo eligendum, et a papa male informato ad ipsum melius informandum. Cui appellationi Gregorius non defert, quinimo omnes secrete privat praeter Antonium Tudertinum Cardinalem Presbyterum Sanctae Praxedis, qui solus cum dicto Gregorio remansit. Gregorius vero Senas properat, de Senis Ariminum. Audiens Clerus, populusque Ravennas . . . . Johannis Commendatarii Ravennatis Ecclesiae prius tamen Archiepiscopi, me Paulum Scordili Doctorem Decretorum, praepositum hujus Ecclesiae, rogatu tamen magnifici Domini Opizonis de Polenta, in Archiepiscopum Ravennatis Ecclesiae unanimiter, et nemine discrepante ipsorum, eligunt. Quam electionem Gregorio Ariminum missam